

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput XX

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

des ut taxi, aures & posteriores pedes nihilo differentes ab humanis, nisi quod pedibus ungula urfi pro humana erat. In dorso postremaque parte, spina circiter centum, hystricis instar, quarum quadam in apice curvabantur, prominebant alioqui immobiles, nec ut de hystrice ferunt, emissaria. Cum moveretur, strepitum, dum se colliderent, edebant. Cauda anserina, sed in spina pluma finiebantur. Si reliqua non videas, anserem dices: candidis ac cinereis plumarum sedibus latoque lumine anserem amulantibus. Vox subobscura, rauca, quasi latrantis canis. Iracundum animal, sed tamen, quod facile à circulatori tractaretur. Canes odio prosequerentur maximo, sexus feminei, atatis juvenilis. Potus nullus, cibi, panis aqua madefactus. &c.

CAPUT XX.  
DE HIRCO.

Tanto interdum impetu fertur hircus, ut asserem vel scutum perforet: septimo postquam natus est die, coire incipit. *Alian.* Sanguis ejus nephriticis & calculosis præfens remedium. Solvit enim ante natos lapides, & ne alii progignantur facit, dolorem sedando etiam. *Aetius l. 11. c. 12.* Sic autem colligendum magnus *Gesnerus* præscripsit. Quum uva matura resere cæperit, ollam novam accipito, & infusa in ipsum aqua, donec terreum deposuerit olla, coquito: & accepto è grege hircu atate matura, plus minus quatuor annorum, ejus mactati sanguinem medium olla excipito: ita ut eum, qui primus effluxit, itemque postremum, penitus relinquant: medium autem spissari finito, & in olla situm per acutam arundinem in multa frustra dissecato, indeque reticulo denso aut linteo raro, aut cribro arctiore conlectum, sub dio exponito, ut insoleatur, & rosceidus fiat (vire jam decusso, post horam secundam sub Solem ponas) cavendo ne imbre commadescat: Porro ubi exsiccatu fuerit, diligenter in pyxide aservato: & remittente malo, cochleare plenum cum passo Cretico exhibeto. *Pharmacum hoc, Divina manus, dicitur.*